



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Veteris Hominis Per Expensa Quatuor Novissima Metamorphosis, Et Novi Genesis**

**Stanyhurst, Guillaume**

**Coloniae, Anno 1702**

**VD18 1237699X**

Prooemium De Morte.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51849](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51849)



Morte morieris. Gen. 2.  
Ne mortem paveas, à malo caveas.

PROOEMIUM  
DE MORTE.

**A**uctores non pauci, in paucis fi-  
de digni, referunt, Athenien-  
sibus Proceribus tam delicatas  
fuisse aures; ut Mortis non di-  
cam commemorationem, sed neque no-  
men solum possent sustinere. Hinc lex  
fuit apud illos; quam infringere, capi-  
tale erat facinus, ut si necesse esset de-  
nuntiare mortem Patris, aut Matris,  
aut alterius, consanguinitate, necessi-  
tudine, vel affinitate conjuncti; illud  
prestari debebat per aliquem, qui jam  
ob letale crimen, reus mortis è tribuna-  
li fuisset pronuntiatus. Propterea,  
quod judicarent hominem illum qui  
tam ferale nuntium deferret, ac tam  
funestâ commemoratione eorum aures  
laderet, indignum esse vitâ, dignissi-  
mum morte; atque adeo è numero ho-  
minum ejiciendum, & è finibus hu-  
manæ naturæ exterminandum. Si vos,  
qui

quicumque hæc legitis, similis cum Atheniensibus indolis esse crederem; haud equidem tantum mihi præfiderem, ut auderem & oculos vestros tam horridis funestare spectaculis; & aures tam tristibus sauciare nuntiis, & animos tam inquietis perturbare cogitationibus, & terriculamentis; qualia gigni solent, dum de terribilium omnium terribilissimo, Morte, instituitur sermocinatio. Sed quia vos, & indole, & naturâ, & genio, certè fide, & Religione ab Atheniensibus discrepare non ignorem; ideo vobis omnibus hujus argumenti Lectoribus, quin & Parentibus vestris, consanguineis, affinibus, ac amicis, liberâ voce, funestum, triste, horrificum, ego ipse reus mortis, defero mortis nuntium, verbis Paulini Oraculi: (a) Divino instinctu fusi, & à magno Apostolo scripti: nimirum: Statutum est hominibus semel mori. Morieris tu, quisquis hæc lætitas, & de morte minimè cogitas? Morieris tu, qui viribus valens, ingenio florens, scientiâ pollens,

(a) Heb. 4. 27.

DE MORTE. 3

pollens, pleno gradu in curriculum ævi  
 ingrederis, spe lætus, & erectus, qui  
 grandia meditaris, insolentia moliris,  
 & ambulas in mirabilibus super te Mo-  
 rieris. Non credis? Statutum est. Ubi?  
 In magno illo foro, in secreto sanctissimæ  
 Trinitatis Concilio, in sublimi Divina  
 Potentiæ prætorio, in arcano æternæ Sa-  
 pientiæ gymnasio, in metuendo Justitiæ  
 tribunali, ubi de omnium capitibus ha-  
 bita sunt comitia. Statutum est [a]  
 A quo? Ab eo, apud quem non est  
 transmutatio. Ab eo, qui de se loqui-  
 tur: Ego Dominus, & non mutor.  
 Ab eo, cujus statuta & verba, eventu  
 tam sunt certa, ut dicat: [b] Cæ-  
 lum, & terra transibunt, verba au-  
 tem mea non præteribunt. [c] Sta-  
 tutum est. Quomodo? Æterno Dei  
 decreto, quod non potest mutari; in-  
 violabili lege, quæ non potest infrin-  
 gi. Illud ergo, quod in principio, ante  
 omne principium, fuit à Deo statutum,  
 erit mihi scribendi, tibi legendi argu-

A 2 mentum.

[a] Jac. 1.17. [b] Malac. 3.6. [c]  
 Matth. 24.35.

#### 4 DE MORTE

mentum. *Utinam? quanto meo conatu, tanto & tuo fructu: Illa igitur, quæ mortem antecedunt, quæ comitantur, quæ sequuntur, denique regulas mortis utiliter oppetenda, caractere magis ad motum pio, quàm ad plausum docto, succinctè exponam. Tu è lectis selectiora selige; selecta mentibus imprime, moribus exprime: sic erit pretium operæ, me in scribendo, te in legendo hoc argumento impendisse operam.*

---

#### CAPUT I.

*Novi hominis, ex attenta Mortis Consideratione, Genesis.*

**U**T homo vetus ex utero; sic homo novus, nascitur ex tumulo. Novi hominis idem est, & pater, & mater, Mortis memoria. Audi loquentem è suo fimeto, optimum morum magistrum Job; (a) *Putredini dixi, pater meus es, mater mea, & soror mea, vermibus.* Ecce hic patrem & matrem novi hominis? putredo: quæ putredo? sepulchralis. Ex putredine,

(a) Job. 17.

DE MORTE. 5

dine, sanie, pure, vermibus, & cinere  
 cadaveroso, nascitur novus homo.  
 Nec opus, ut homo novus concipia-  
 tur, & nascatur, vel longâ temporis  
 diuturnitate, vel magnâ laboris dif-  
 ficultate; novus homo, & facillimè  
 concipitur, & citissimè nascitur. Hoc  
 fit uno contuitu oculi, & brevi actio-  
 ne animi. Nunquid quoties oculos  
 Convertis ad speculum, nascitur no-  
 va effigies in speculo? Ita ut idem fit,  
 speculum aspicere, & in speculo ima-  
 ginem affingere? Nostim, quem ad  
 finem inventa sunt specula; Seneca  
 (a) putat inventa, ut homo seipsum  
 nosceret. Socrates usus est speculo ad  
 morum disciplinam; unde discipulis  
 suis suadebat, ut se in speculo con-  
 templarentur; ut qui sibi pulchritu-  
 dine placeret, satageret, ne corporis  
 dignitatem, morum dehonestamen-  
 to contaminaret; qui verò minus  
 visendam in se formam spectasset,  
 gnaviter contenderet, ut virtutis  
 splendore, inopiam formæ collustra-

A 3 ret.

[a] i. Natur.

ret, ac ingenio, corporis damna compensaret. Profunt ergò specula, si nobis illa inserviant, non tam ad criminum censuram, quàm ad morum disciplinam. Sed ut magni æstimandum; sic & maximè commendandum est speculum, quod dum aspicitur, repentè novus homo concipitur. Accipite hîc speculum, cujus intuitus, si vis, erit novi hominis partus. Refert auctor Neotericus, [a] quendam ex sacra D. Dominici familiâ, celeberrimam Divini verbi, quod ad populum Parisiis exponebat, Oratorem, solitum quadraginta esurialium dierum tempore subindè ad alias excurrere civitates, ut populum è suggestu ad virtutes, & virtutum adhortaretur exercitia. Itaque exeunte jam Quadragesimâ, matrona quædam magis spectatæ formæ, quàm vitæ; nobilis ut sanguine, sic & libidine, cum Patrem abiturum ultimum salutaret, obsecravit impen-

[a] Spoelberg in Concion. parte Æstival. p. 317.

## DE MORTE.

7

pensè , & flagitavit importunè , ut proximâ quâ rediret vice, secum conferret speculum Parisiense. Hoc se facturum, sanctè promisit alter; & quam fuit in promittendo liberalis, tam fuit in exequendo fidelis. Quapropter elapsis aliquot mensibus , cùm ad illius Matronæ rediret ædes , contulit secum speculum ; non vitreum sed osseum ; non sumptum in foro à mercatoribus , sed in cœmiterio à vespillonibus. Ingressus domum , jubet per Dominam convocari omnes domesticos , asserens se contulisse speculum Parisiense , exquisitissimi artificii. Illa de munere læta , præcipit actutum adesse famulos, ancillas , omnesq; contubernales , jactitans exponendum omnium oculis concinnũ aliquod speculum , Parisiis allatum. Tum vir Religiosus , amoto quo speculum texerat velo , producit in omnium conspectum , horrificam calvariam. Post hæc ipse nervosâ , & aculeatâ oratione ad hoc spectaculum , pupugit spectantes. Tu, ait , ô Do-

§ DE MORTE.

mina, speculum flagitasti? En speculum aptum non concinnandis crinibus, sed reformandis moribus! fuit illa olim, quod tu es modò: ubi jam sunt geminæ sine lumine cavernæ, fuerunt quondam blandæ oculorum pupillæ: cranium illud depile, exornavit crispata calamistris cæsaries, circa oculos jam effossos, rosæ rubuerunt genæ: circa dentes, fuerunt corallina labra, intus lenocinans lingua. Quod tu es modò, fuit illa olim; eris & tu olim, quod est modò; simul ad hæc verba & obstupuere, & conticuere omnes, cunctis vox faucibus hæsit. Hujus speculi aspectus, fuit aspicientium salus. Sed illa præ cæteris Domina, quæ speculi obtinendi erat præ aliis cupida, spreuit præsentia, & cœpit cogitare futura. Unde non tantùm sui dissimilis; sed jam propè alia, talem ab illa die instituit vitam, qualem se duxisse, sciebat se optaturam, cùm esset appetitura mortem. Atque ita, mortis cogitatio, fuit novi hominis generatio.

Ecce

## DE MORTE. 9

Ecce tibi forsā non optabile, sed tamen utile pro animi salute speculum, haustum è cœmiterio cranium. Tale si in tuo habeas musæo, quod sæpè intuearis speculum, stabis semper quasi in specula; & ut præsentia despicias, & de futuris tibi prospicias. Hoc speculum non est veneris illud fallax, & subdolum, quo in lubrica, ac fragili glacie fluxam corporis pulchritudinem intueberis; sed velut in diviniore crystallo, rerum sublunarium, vitæ fugacitatem, mortis certitudinem, id est, ut Plato sentiebat, veram Philosophiam, specularando discas. Itò ergò ad cœmiterium, tanquam ad Christianæ Philosophiæ seminarium? aperi demortui hominis tumulum. Sta illic paulisper, ubi brevi cades. Sepulchrum cadaveris exanimis, mutabit tibi animum. Incipies jam nunc mundo mori, si cogitaveris te brevi moriturum. Consideratio mortis, erit tibi inspiratio novæ vitæ. Deinde, confer inde mortis spoliū, informe cranium; confer ad tuum cu-

biculum , ut illud identidem intuearis , quasi speculum. Multa , quæ te officii moneant , non tantum videbis , sed audies. Illud enim cranium licet elingue est , tamen loquax : multa dicit dum nihil dicit : licet taciturnum , est tamen verbum ; suo silentio , altum clamat : licet mutum , canit classicum : sine lingua docet , sine voce monet , sine verbis movet : dum nil pronuntiat , multa tibi pronuntiat. Placet audire Laconicam hujus muti Rhetoris orationem ; Hoc tibi tacite dicit cranium , quoties ad illud conversus attendas animum : Vix natus coepi vivere ; & mox ad vitæ metam , incepti currere. Illud quod inter matris uterum & tumulum , spatium est medium , est punctum , quod in tempore est minimum. Unde inter illa duo extrema , Nasci , & Mori , minus est , quàm ictus oculi. Ubi incipis , statim desinis , idem est fabulæ prologus , & Epilogus. Sæpè illius memento , salutem dependere ab ultimo momento. Summa erunt omnia,

DE MORTE. 11

nia, ubi venerit summa dies. Sit tibi non modo prima, sed tota, & sola cura, salutem curare. Hoc unum tibi est necessarium, aliud quidlibet supervacaneum. Nunquam tibi hoc excidat; pati potius omnia, quam ut excidas Dei gratiâ. Inter omnia hoc unum cave præ omnibus, ne quid agas, quod egisse pœnitebit, dum animam ages. Denique eris homo novus, si sæpè cogitas novissima. Hæc erit hujus muti Oratoris ad te exhortatio, & post eam fors in te erit vitæ, morumque innovatio.

P R A X I S.

Fuit hoc familiare D. Antonio pronuntiatum. *Ut quis evadat perfectus, duo tantum sunt necessaria. Primum, credere se hodie incepisse Deo servire: Deindè, hodiernum diem esse ultimum vitæ.* Si hæc dies quam Deo consecrasti, sit prima, cum nihil Dei causa sit à te actum, quid non agendum? si ultima, quomodo non agendum? Hic ergo collige omnes corporis, & animi, Gratia, & Naturæ vires;



ut nulla sit vel mentis cogitatio, vel  
cordis desiderium, vel oris verbum,  
vel manuum opus, quod non totâ to-  
tius hominis contentione dirigatur  
ad Deum: sic totam, cum sit ultima,  
diem exigas, quam mereatur corona-  
re felix Æternitas. Mane altè animo  
imprime hæc aurea verba D. Schola-  
lasticæ. *Dies unus benè impensus ob-  
sequio Dei, plus valet, quam milliones  
annorum ad obtinendum universum  
mundum.*

## CAPUT II.

*Homo vetus ad intuitum sepulchri evi-  
gilat; Et jam novus, sibi  
invigilat.*

QUid aliud est sepulchrum, quàm  
Mortis domicilium? inde tamen  
sæpe hauritur vitæ præsidium. Ex  
morte ipsa ritè considerata, resultat  
in anima novæ vitæ præstans simu-  
lacrum. Sic fæditas inservit decori,  
deformitas venustati, peccati stipen-  
dium Virtuti, somnus vigiliæ. Patet  
id ex verbis Job, loquitur is de homi-  
ne

DE MORTE.

13

ne insignitè scelerato: (a) *Ipsè ad sepulchrum ducetur; & in congerie mortuorum evigilabit.* Exquisitissimis coloribus exprimit hîc Job lineamenta hominis impii, ac potentis, qui fractis omnibus juris humani, ac Divini repagulis, Dei contemnit monita, violat præcepta, explodit consilia; imò qui sacrilego ore hæc plena impietatis verba in Deum deblaterat: (b) *Quis est omnipotens, ut serviamus ei? & quid nobis prodest, si oraverimus eum? Recede à nobis, scientiam viarum tuarum nolumus?* Et id genus alia execrabilia, quæ recenset Job. Tandem Job, quasi desperans de hujusmodi hominis salute, certum illius exitium denunciat, his verbis: (c) *Quia in diem perditionis servatur, & ad diem furoris ducetur.*

Quasi dicat; Actum est de illo, conclamatum est de ejus salute, perditissimus est. Quid, inquires, nullumne homini illi reliquum est obtinendæ salutis præsidium? Vix occurrit, quia ut Job

A 7

paulo

(a) *Job. 21. 32.* (b) *Job. 21. 15.*

(c) *Job. 11. 30.*

paulò post testatur: *Quis arguet coram  
 eo viam ejus; & quæ fecit, quis reddet  
 illi: Quis illius erit roboris, ut audeat  
 quis illius fiduciæ, ut præsumat? quis  
 illius virtutis, ut valeat, posito omni  
 metu, Principem valentem viribus,  
 pollentem divitiis, scatentem vitis,  
 admonere officii, insignia illius carpe-  
 re flagitia, ac salubria suggerere con-  
 silia? Res nimium quantum difficilis,  
 imò periculosæ plenum opus alex.  
 Arguit Joannes Herodem; sed jacturâ  
 capitis. Arguit Propheta à Deo lega-  
 tus Jeroboam; sed & in carcerem fuit  
 relegatus. Arguit Jeremias Regem, &  
 Principes impios; sed projectus fuit in  
 lacum, sustentandus pane doloris, &  
 aquâ angustia. Quis igitur arguet co-  
 ram eo viam ejus? vix reperietur: vel  
 si quis surdo canet, non audiet. Quid  
 igitur agendum cum homine, de quo  
 jam est actum? Non est remedio locus,  
 ubi quæ fuerunt vitia, sunt mores.  
 Quid subsidii ô Job? Restat unum, &  
 præter illud, aliud nullum. Quod il-  
 lud? *Ipsè ad sepulchra ducetur; & in**

con-

*congerie mortuorum evigilabit.* O præfidium expediſſimum cuiuſvis etiam deſperatiſſimi hominis ad ſalutem adducendi ! Non cum huiuſmodi homine agendum eſt rationibus ſtudioſè excogitatis, non proferenda exquiſita, quibus illum convincas, argumenta; non adducenda horribilia, quibus terreas exempla; non promenda, quibus illum attones, verborum fulmina: ſed ut eum errantem reducas ad viam vitæ, adducas ad receptacula mortis, ad ſepulchra: exhibe ejus oculis ſpectabilem mortuorum congeriem: & dicto citius, qui fuerat ſurdus, audiet ſana conſilia; qui fuerat cæcus, videbit præſentia pericula; qui fuerat imperterritus, horrebit futura ſupplicia; qui fuerat paralyticus, ſurget; qui claudus, ambulabit; qui mortuus, reſurget; qui dormiebat, *Evigilabit.* Placet hitoriâ rem hanc confirmari? Liſſardus Religioſus Cisterciensis, inclytæ vir proſapiæ, diu Monasterii ſui ſubulcus, denique officii ſui tam inofficioſi pertæſus, nescio quâ

quâ arrogantiam ductus ; hæc ipse se-  
cum : Liffarde, quid agis ? Absit à te  
tuisque tantum dedecus, ut grunni-  
tes pecudes pascas. Maeste animo Liff-  
arde, ad ea, quæ tuo genere digna  
sunt, enitere. Tuumne decet gentili-  
tium genus, tam humile munus ? Sic  
se abjicere, quid est, nisi ad probrum  
familia, avitum sanguinem protere-  
re ? pudeat te non pudere tam infamis  
servitutis. Major es, quam ut te despi-  
ciant minimi. Eripe te hoc ascetico  
ergastulo ; in pristinam libertatem,  
nobilitatemque te vindica ? Dixit, cer-  
tusque jam erat cucullum excutere,  
& asceterio profugere : sed jam, jam  
abiturum, retinuit nox, quam cum  
duceret insomnem, ecce tibi sese oculis  
ejus obtulit vir humanam majorem  
majestate, quem sequi jussus, præeun-  
tem secutus est, januis omnibus, qua-  
cunque incederet, spontè reclusis : ven-  
tum ad cæmiterium, in quo cum se-  
pulchra vasto deducerentur hiatu ;  
Liffardus ad tumulum, in quo puti-  
dum quoddam cadaver haud ita pri-  
dem

dem humatum verminabat, ductus  
 audiit: *Miser, quo vis abire?* cumque a-  
 lia, atque alia huiusmodi cadavera,  
 contemplari juberetur, & ille propter  
 horrorem deprecaretur, dicens: *Parce*  
*Domine mi, exanimes illæ larvæ pro-*  
*pè me exanimant: heu! nequeo porrò*  
*illas contemplari. Rursus audiit: Age*  
*igitur, & si tibi vis parci, noli superbiâ*  
*elatus, Religiosæ vitæ statum desere-*  
*re. Quid plura? Ille constantiam polli-*  
*citus, ad lectum reversus, horrifico*  
*mortis simulacro fuit ab omni super-*  
*bia liberatus. Sic ad sepulchra ductus,*  
*reductus est ad modestiæ gyrum, &*  
*virtutis tramitem, ex quo pedem ef-*  
*ferre in animum induxerat. Dicam*  
*ergò, non quod Salomon: (a) Vade ad*  
*formicam piger; sed vade ad sepulchrũ*  
*piger, & mox cum Davide: (b) Curres*  
*per viam mandatorum Dei. Vade ad*  
*cæmiterium avare, & statim dices*  
*cum Zachæo: (c) Ecce dimidium bono-*  
*rum meorum Domine, do pauperibus.*

Vade

(a) *Prov. 6. 6.* (b) *Psal. 147. 15.*

(c) *Luc. 19. 8.*

Vade ad congeriem mortuorum superbe, & illicò exclamabis cum Ecclesiastico : (a) *Quid superbis terra, & cinis?* Denique vade Cosmophile, qui mundum sectaris, & ea, quæ sunt mundi, admiraris, ad congeriem mortuorum, & voluta te inter ossa mortualia; & confestim occines tibi illud cum Salomone acroama: [b] *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.*

## P R A X I S.

Sit tibi Mors à secretis, & consiliis. Nihil committas, quod non commisisse optares; nihil omittas, quod omisisse te poeniteret in novissima hora. Sic ergò ante omne opus, seu illud sit animi internum, seu corporis externum, familiariter sermocinare: Ecce Mors, tu Divinæ es Justitiæ administratrix, tuo subditus sum imperio: mihi enim quod patri meo, jam pridem dictum est: [c] *Morte morieris.* Cùm igitur nullum sit mihi effugium, audiam Sapientis consilium: [d] *Consiliarius*

(a) *Eccl. 10. 9.* [b] *Eccl. 1. 2.*

[c] *Gen. 2. 17.* [d] *Eccl. 6. 6.*

*liarius sit tibi unus de mille.* Quoties  
pendebo animi dubius, quid pro sa-  
lute animi me facere vel deceat, vel  
oporteat; tu unus mihi eris, qui, quæ  
sunt obscura, illustres; quæ ambigua,  
explanes; quæ ignota, patefacias, con-  
siliarius? Ecce impotens sui iracundia  
instigat, ut de illata injuria sumam  
vindictam? vult manum proferam ad  
ferrum, jubet me cum inimico des-  
cendere in arenam. Quid hîc factò o-  
pus? Cave, reponet mors: Olim quod  
vis facere, pœnitebit fecisse? Dum mi-  
hi lenocinatur caro? iterum adi tuum  
consiliarium, & dic ei cum Paulo: [a]  
*Caro concupiscit adversus spiritum;*  
pellicit me suis illecebris, ut saltem  
vel cogitando, illis me oblectem; ti-  
tillat me suâ voluptate, ut illi saltem  
desiderando assentiar. Quid hîc mihi  
suades? si sapias, respondebit illa, audi  
meum consilium, quod est Spiritus  
Sancti oraculum: [b] *Si secundum  
carnem vixeritis, moriemini.* Quantum  
ergò metuis mortem, tantum oderis

car-

[a] Gal. 5. 17. [b] Rom. 8. 13.

carnem. Iterum, dum te avaritia invitavit, ut vel obtineas, vel possideas contra fas aliena bona; dum Intemperantia te impellit, ut helluando te ingurgites, vel potando inebries; semper ante quodcumque opus, sit tibi perfugium ad tuum Consiliarium: audi, quid ille suadeat. O quàm multa, ut facias, suadebit! quàm non pauca, ne facias, dissuadebit. Nec Salomon cum omni sua sapientia suggerit tibi utiliora, quàm Mors, consilia. Tibi igitur consules, si illam semper consulas; si ad illius consiliorum normam instituas vitam, stupebunt alii tuam vivendi formam, eritque omnium interrogatio, quæ est apud Isaiam: [a] *Quis consiliarius ejus fuit.*

---

### CAPUT III.

*Hominis fragilitas, temporis pernicitas.*

**N**obilis ille Vates, cælestium arcanorum interpres Isaias, audiverat fortè resonantem ex alto vocem, & dicen-

[a] *Isa. 40. 13.*

dicentem: [a] *Clama*. Quasi diceret? Illud quod tibi dicturus sum, & quod à me auditurus es, nolo in aliquo angulo, sed in publico; non in obscuro aliquo gurgustio, sed in celeberrimo teatro; non modestâ aut gracili voce, sed contentissimo clamore; non aliquibus, sed omnibus annuntiari: *Clama*. Quid clamabo: *Omnis caro fœnum, & omnis gloria ejus, quasi flos agri: Exsiccatum est fœnum, & cecidit flos.* Hoc est: tam futilis, & fragilis, & caducus est homo: ex carne licet & ossibus conflatus, cum omni, quâ fulget gloriâ, quâ floret dignitate, quâ valet auctoritate, quâ pollet potestate, quâ abundat opulentiâ, quâ se jactat scientiâ, quâ eminet sapientiâ, totoque Fortunæ & Naturæ choragio; & mundi, quo tumet apparatu, ut minimo minimi venti corruat afflatu. Quid mirum? *Omnis caro fœnum, & omnis gloria ejus, quasi flos agri.* Scitè expendit hanc similitudinem floris D. Augustinus: [b] *Isti florent felicitate sæculi, & pereunt*

[a] *Isa. 40. 7.* [b] *In Psal. 35.*

*pereunt in virtute Dei: Non enim quomodo florent, sic pereunt: florent enim ad tempus, & pereunt in æternum: florent falsis bonis, & pereunt veris tormentis.*  
 Confer te ad agrum, aspice Maji tempore fœnum, quomodo floret in pascuis, viget in campis, viret in agris, quàm amœnum præbet viatoribus spectaculum? quàm mollem fatigatis torum? At exeunte Julio, quod antea virebat in agro, aret in horreo; quod prius gratum præbebat hominibus spectaculum, jam servit brutis animalibus in pabulum. O delicatule Trossule? illa tua caro, quæ in capite flavis crispatur comis, quæ in vultu, roseis purpurascit genis, quæ in cervice, lacteo candet nitore, quæ in ore corallinis rubet labiis: illa caro, quæ induitur bysso & purpurâ; cujus auribus, quidquid jucundum; oculis, quidquid pulchrum; naribus, quidquid odoriferum; faucibus, quidquid dulce; manibus, quidquid molle est, offertur, non est nisi fœnum. Exspecta adhuc paulisper juvenis formose,  
 brevi

brevi de te dicetur: *Cecidit flos*. O quàm  
benè non malus Poëta: [a]

*Nos quoque floruimus, sed flos fuit  
ille caducus.*

Hodie fumus validi, cras morbidi,  
perendie mortui, deinde sepulti, pau-  
lò post à vermibus exesi, tandem in  
cineres converfi: eodemque sæpè, &  
temporis momento, & loci puncto,  
& exhalamus animam, & accipimus  
decretoriam sententiam; & calente  
adhuc corpore, stamus coram Judice;  
nosque prius ad æternitatem mira-  
mur abreptos, quàm metuebamus  
abripiendos. Sic uno momento sta-  
mus, altero cadimus, uno vivimus,  
altero morimur. Non modò summa  
est hominis, dum vivit, fragilitas, sed  
& maxima temporis, ut vivat, brevi-  
tas. Est effatum Paulinum: [b] *Tempus  
breve est*. Quid aliud clamat Sol, dum  
annuam orbitam emensus, eandem  
remititur, quàm *Tempus breve est?*  
Quid aliud illa frequens noctium ac-  
dierum vicissitudo? quid aliud succe-  
dens

[a] Ovidius. [b] 1. Cor. 7.

dens infantiaë pueritia, pueritiaë adoles-  
 centia, adolescentiaë juvenus, huic  
 reliquaë ætatis partes clamant, quàm  
*tempus breve est?* Idipsam asserit Job:  
 [a] *Breves dies hominis.* Pondera suis  
 momentis, quia sunt magni momen-  
 ti singula verba. Non dicit breves  
 dies hominis senis, decrepiti, depon-  
 tani, sed hominis. Adolescens es, sed  
 homo: fortis, vegetus, validus, sed ho-  
 mo: ebullit in venis juvenilis sanguis,  
 stant firmæ in corpore vires, sed ho-  
 mo es? *Breves dies hominis.* Sæpè ado-  
 lescens florens ætate, nobilitate, inge-  
 nio, tanquam flos egreditur, & re-  
 pentè conteritur. Non rarò Juvenis  
 comptulus manè procedit velut spon-  
 sus de thalamo, & vesperi jacet in tur-  
 mulo. Hanc temporis brevitatem  
 confirmabit tragica Saulis historia:  
 Saul decretoriam cum Philisthæis  
 pugnam pugnaturus, jussit per Py-  
 thionissam Samuelem è funere exci-  
 tari. Adest metuendâ majestate suspi-  
 ciendus Samuel. Vide hîc inter unius

dici

[a] *Job. 14. 5.*

diei & noctis moram minimam, maximam rerum omnium conversionem. Stabat utrimque copiosissimo bellicæ pompæ apparatu instructissimus exercitus: Versabatur hic Saul inter quadrigas & carpenta, inter turmas equitum & cohortes peditum, inter lituos & cornua, Martio pulvere non indecorè sordidus: ducebat exercitum, instruebat aciem, cogitabat victorias, meditabatur triumphos, sperabat trophæa; Regnum denique suum ad seram posteritatem firmare moliebatur. Interim dum hæc animo agit, ecce tibi feralem Samuelis ab inferis exciti vocem: [a] *Cras tu, & filii tui mecum eritis, sed & castra Israel tradet Dominus in manus Philistinorum.* O quanta & quàm admiranda rerum omnium repente vicissitudo? quàm præcipites rerum vices? Hodie stat in campo exercitus ferro metuendus, cras jacebit mortis manu prostratus. Quot hodie stant hîc animata corpora, tot cras jacebunt

B

bunt

[a] 1. Reg. 28. 17.

bunt inania cadavera. Quàm benè  
 Tullius: [a] *Quis est tam stultus, quam-  
 vis sit adolescens, cui sit exploratum, se  
 ad vesperam esse victurum?* Præclare  
 item Seneca: [b] *Id ago ut mihi instar  
 totius vitæ sit dies; sic illum aspicio, tan-  
 quam esse vel ultimus possit.* O si cum  
 vel Seneca quemlibet diem aspicere-  
 mus tanquam vitæ postremum, æ-  
 ternitatis primum? quid ageremus?  
 Accerferemus pollinctores, locum se-  
 pulchralem in cœmiterio quisque si-  
 bi metaret, linteum funebre appara-  
 ret, cum vespillonibus de efferendo  
 funere pacisceretur: tumbam mortua-  
 lem sæpe inspiceret, testamentum  
 conderet, tum aliis omnibus curis  
 sepositis conscientiæ latebras discuti-  
 teret, inde erutas animi labeles in aures  
 Sacerdotis conjiceret, Sacro Viatico  
 immensum æternitatis iter initurus,  
 mentem corroboraret, præcingeret  
 lumbos, pararet lampadem, exspe-  
 ctaret sponsum, vigilarer, teneret lu-  
 cernam in manibus; denique unum

[a] Senec. [b] L. de Epist. 61.

id ageret, salutem consulere. Hæc ageres, si non nescires hunc diem tibi postremum elucere. Quid differs poenitentorum in crastinum poenitere, qui hodie commisisti poenitenda. Audi Gregorium: [a] *Qui poenitenti veniam spondit, peccanti diem crastinum non promisit: semper ergo postremum diem debemus metuere, quem nunquam possumus praevidere. Cave ne cum steteris in limine æternitatis, tibi occinas illud serum Hannibalis, negligentis Romæ occupandæ post victoriam Cannensem, occasionem: Cum potui, nolui; cum volui, non potui. Hodie potes, quidquid velis, cras forsitan non poteris, licet volueris. O quam erit triste ab arrodente conscientia verme æternum cruciari! toties mihi ingeminanti: Heri potui æternam nancisci gloriam, nolui; heri potui hos declinare cruciatus, nolui. heri potui æternum esse beatus, nolui; heri potui nunquam esse miser, nolui. Quid ita? in crastinum distu-*

B 2

li,

[a] *Homil. 12. in Evang.*

li, qui ignorabam, quid esset futurum in crastinum. Imitare, si tibi vis consultum, illud cujusdam viri Religiosi monitum, qui cum ad insequentis diei convivium esset invitatus, respondit invitantibus: [a] *Si quid à me vultis, præsto sum; quid enim cras agendum sit, vos, quibus vacat, cogitate; ego enim à multis annis crastinum non habeo.*

## P R A X I S.

Si vis in hac mortali vita, ubi homo repletur multis miseriis, stare in ipso fastigio supremæ felicitatis, semperque vivere sine metu, tutus: sine luctu, lætus: sine ærumnis, beatus: ita vitam institue, ut omni tempore Conscientia tibi dicat: si hæc hora & momento mihi esset moriendum, nihil occurrit Sacerdoti aperiendum, nisi fors ab ultima confessione. Adeoque si vox illa mihi insonet: [b] *Ecce Sponsus venit; paratus sum in hoc statu illi occurrere. Si mihi subi-*

tò

[a] *Petrarcæ lib. 3. Memorial.*[b] *Matth. 24.*

tò dicatur : [a] *Dispone domui tue ,  
quia morieris.* Reponam: jam pridem  
disposui, lubens moriar. Si hoc mo-  
do vivas, potes mortem non modò  
expectare cum desiderio, sed invitare  
cum gaudio; potes securè in utram-  
que aurem dormire, quia si mors  
subitò te opprimat, in Domino ob-  
dormies.

## CAPUT IV.

*Quid sit mori?*

(Uicumque contigit nasci, eidem  
necesse est & mori. Obrevem vo-  
culam ! mori ; non continet nisi duas  
syllabas & quatuor literas ; sed actus  
moriendi complectitur omnes, quæ  
timeri solent, miseras. Mori, non est  
nisi unicum verbum, sed quæ mor-  
tem antecedunt, comitantur, sequun-  
tur, nullus nec verbosissimus Ora-  
tor poterit unquam dicendo expli-  
care. Faciamus hîc quasi Anato-  
miam illius arcani, & prodigiosi ver-  
bi videlicet Mori. Quid est Mori?

B 3

Mori

(a) *Isa. 38. 1.*

Mori est relinquere omnia in hoc modo aspectabilia & sensibilia. Primum, quàm est perpeffu acerbum proferibi patria, mitti in exilium? Cùm Tullius amandaretur in exilium, viginti millia civium Romanorum, pullo amictu, luctus testandi causâ, eum comitabantur. Quid hoc est collatum cum morte? Mori, est, debere pro omni tempore deferere, in quo vixisti, mundum; in qua natus es, Patriam; ubi vixisti, urbem; quam incoluisti, domum; in quo manducafti, triclinium; in quo ftuduisti, musæum; in quo quievisti, lectum; in quo ambulasti, hortum: omnia penitus loca; sicut nullus in toto orbe futurus fit angulus, in quo possis amplius, vel ad momentum consistere. Alia jam profequere. Mori, est dicere perpetuum vale parentibus, fratribus, sororibus, consanguineis, affinibus, amicis, famulis, domesticis, civibus, popularibus, (verbo) omnibus hominibus; sicut nullus omnino fit futurus, qui te pro-

proficiscentem in illam ignotam, peregrinam, admirandam comitetur Regionem æternitatis. Princeps quidam impiè potens, & iniquè dives, cum morti se proximum cerneret, conversus ad sibi adstantem Palatinam Familiam: (a) Eja, inquit, vos fideles Palatini mei, succurrite quæso, & ab imminente morte hâc me vice eripite: Et si nunc omnino moriendum erit, saltem comites mihi itote, & ne in periculosa hac & ignota profectioe solum relinquite: & hoc æquum est, ut qui fuistis participes meæ gloriæ & felicitatis, ne in tam calamitoso statu me deseratis? Ad hâc ipsis silentibus, nulloque condicere volente, in rabiem actus Princeps, perjuros illos, & perfidos insanis clamoribus vociferans, per summam indignationem spiritum infaustum ejecit. Mori est, deserre omnia bona corporis. Fortunæ, Naturæ: Tunc igitur spoliatur omnibus vestibus, suppellectili, pecuniâ

B 4

niâ

a Bellard. in Prato exemp. l. 21.

niâ, opibus, thesauris, agris, fundis, prædiis, ædificiis, possessionibus; omnibus jumentis, quæ habebat in stabulo, piscibus, quæ in vivariis; arboribus, quas in silvis, fructibus, quos in agris; floribus, quos in hortis; frumento, quod in horreo; dolis, quæ habebat in caveis, [a] *Nudus in hunc mundum venisti, nudus exhibis?* Etsi Cræso fueris ditior; non licebit tecum sumere, nec ex agris, spiculam; nec ex thesauris, obulum, nec ex armentis, unguam; nihil penitus, Nihil, Nihil. Mori est, deserere semel, & simul omnes voluptates, delicias, convivia, tripudia, spectacula, aucupia, venationes, ludos; omnia, quæ vel oculos blandè oblectant; vel aures suaviter demulcent; vel nares odore recreant, vel palato sapore blandiuntur; vel tactum molliculè afficiunt. Nunquam ampliùs posse oblectare oculos aliquo lumine, solis, lunæ, stellarum, lampadis, cerei, facis. Mori est, pati extremas undique in

cor-

[a] *Job. 1. 21.*

corpore, & animo angustias: tunc enim supini sunt vultus; oculi patentes, immobiles, & extincti, contractæ nares? os lividis dentibus hians, longum, difficilem, raucum, & graveolentem reciprocans halitum; arefcunt fauces, stupet omnis sensus; qui superat in facie color, diffluit; omnis venustas in ore evanescit; erumpit ex omnibus poris frigidus sudor, abit à genis rubor, succedit pallor, paulò post rigor, tum foetor, deinde rancor, tandem omnium, qui intuentur, horror. Non fit minor in adstantium affectibus mutatio; fluunt lachrymæ, personant suspiria, audiuntur ejulatus, editur planctus, excipiuntur novissima verba, conclamatur, quamdiu spirat, foveretur moriens, mortuus statim nudatur, deseritur à propinquis; & qui prius in illis erat amor, desinit in abominationem. Mori, est in lubrica arena cum formidando illo hoste, cum potestatibus tenebrarum, cum mundi Principe, cum leone rugienti decertare, congregari,

gredi , luctari pro sempiterna salute animæ ; ut huic æternum benè , vel æternum malè fit : Et quidem pugnabis toto corpore infirmus , omnibus artubus debilis , gravissimâ calamitatum mole circumvallatus , letali sudore perfusus , mortifero morbo oppressus , & solus : [ a ] *quoniam non est tunc , qui adjuvet , aut adjuvare possit : & pugnabis cum invisibili , [ b ] cum hoste vaferrimo , cui mille nocendi artes ; cum hoste ferocissimo , qui tunc insurget in te , cum ira magna , furore insatiabili , & horrifico , sciens quod modicum ubi residuum , tempus habeat . Tunc omnia ossa , artus , nervi , arteriæ , articuli , singulaque totius corporis membra si possent humanâ voce resonare ; non aliud clamarent , quàm illud Susannæ : [ c ] *Angustia mihi sunt undique .* Mori est corpore rigido , & frigido jacere in stramine , involvi abjectâ sindone , includi angusto loculo ; efferri per vi-*

cos

[ a ] *Psal. 41. 14.* [ b ] *Apoc. 12. 12.*( c ) *Dan. 13. 13.*

cos, & compita sarcophago ad templum, pone comitantibus amicis, & vicinis; inde deduci ad cæmiterium, ex cæmiterio ad sepulchrum, passis funibus demitti in cæcum telluris antrum, obtegi terrâ, lapidibus, ac defunctorum ossibus, tum fætere, tabere, consumi, rodi à vermibus, putrefieri, ac tandem in pulverem referri. Quid deniq; est mori? Mori est, animam migrare ad alteram vitam, in alium orbem, in domum æternitatis, in Regionem incognitam; ubi terræ opes, nullius sunt valoris; honores, nullius pretii; scientiæ, nullius æstimationis: ubi omnia, quæ sunt mundi, quia momentanea, nullius sunt momenti. Est animam iusti coram inevitabili æquissimi iudicis tribunali; illic accusari, judicari, ac tandem æternum vel in cælo gloriâ coronari, vel in orco pœnâ cruciari. Ecce illadem mirabilium, quæ complectitur una illa vocula, Mors; binæ illæ syllabæ, Mori? Jam forsitan quæres, quod Discipuli olim à Christo: a)

a *Matth. 24. 3.*

*Dic*

*Dic nobis, quando hæc erunt, & quod signum adventus mortis, & consummationis vitæ? Respondeo cum Christo: [ a ] Vigilate, nescitis diem, neque horam. Fors illa omnia à me prædicta, à te prælecta evenient tibi sequenti horâ; fors vesperi, vel certè cras; vel hoc mense, aut anno: quidquid fuerit, illud certum est, quod aliquando; nec illud incertum quod brevi, quia [ b ] Tempus breve est.*

## P R A X I S.

Ne Mors, quàm certò expectas, tibi veniat inexpectata, ad illam tua omnia dispone, animumque totum compone. Quotidie tibi ipse, quasi morienti prælege preces illas usitatas Ecclesiæ, quæ recitari solent ad spondam lecti, dum quis moritur, videlicet: *Proficiscere anima Christiana de hoc mundo, &c.* Itemque Litanias omnium SS. ac B. Virginis, ardeatque ad latus cereus benedictus. B. Albericus, qui se, suosque omnes ex asse B. Virgini manciparat, morti jam proximus,

a *Matth. 25. 12.* b *1. Cor.*

quod  
um-  
ri-  
que  
edi-  
nen-  
ras;  
quid  
an-  
vi,  
  
ti-  
tua  
um  
afi  
tas  
on-  
le-  
de  
n-  
ad  
is,  
r-  
i-  
s,  
mus, post accepta morientium Sacra-  
menta, Litanias dicere aggressus, cum  
collecto ad extremum spiritu tenerrimè diceret: [ a ] *Sancta Maria ora pro nobis*; facies ejus ( inquit Auctor vitæ )  
cœpit quasi Divinâ luce perfusâ, intermicantes effundere radios; & mox  
velut in somnum leviter solutus, animam efflavit sanctissimam, postea-  
quam suis, quos Mariæ omnes addixerat, dixisset: O si vidissetis cælestem  
illam gloriam, quàm omnibus vobis jam paratam aspexi? O quàm sanctè  
Litanias, quamque non è frigida consuetudine diceres, si post illas recitatas  
mox te moriturum tibi persuaderes! Colebat Antiquitas Deos Limentinos,  
quibus cura liminis in domo erat commissa: tibi Limentini sint sancti,  
quos in æternitatis limine, ut benè in domum Æternitatis inducant, in Litanis oras.

C

CA-

a Apud Bollandum 26. JANUAR. C. 5.

## CAPUT V.

*Homo vetus, reddit animum ex deformati pulchrum, inspiciendo sepulchrum.*

**M**aria stabat ad monumentum, plorans. [a] Quid mulier facis ad monumentum? quid quæris in sepulchro? Quæro, quem amisi, dilectum. Sed ille jam abiit, evasit; erupit: abiit è vita; evasit è mundo? erupit è tumulo. Quid vitæ Auctorem quæris inter mortuos? Quia nusquam, dum perditus est, vel certius quæritur, vel citius invenitur Auctor vitæ, quam in loco mortis. Si mortem contempleris, morietur in te mundus; nascetur Christus. Sepulchrum, natale est solum omnium Virtutum. Cæmeterium, est Christianæ Philosophiæ gymnasium. Urna illa feralis, schola est, in qua uti docentur omnes Virtutes; ita & dedocentur omnia vitia. Descende in hanc arenam; prodebis inde non indecoro pulvere sordidus,

a Joan. 20.

didus , dum intelliges te è pulvere  
 conflatum , in pulverem brevi rever-  
 surum. Imitare hanc mulierem, ne sis  
 effæminatè mulierosus , ut evadas vir.  
*Maria stabat ad monumentum.* Tu, qui  
 tam pertinaciter stetisti in via pecca-  
 torum ; sta cum Maria ad monu-  
 mentum. Brevi jacebis in monumen-  
 to : sta priùs ad monumentum, ut illic  
 suis momentis ponderes ultimum , à  
 quo æternitas pendet momentum.  
 Sta ad monumentum , dum vita agi-  
 tat pedes : sta , antequam morte ca-  
 das : sta, dum tempus fugit; dum cur-  
 ris ad metam , dum properas ad do-  
 mum Æternitatis. Doctior evades ,  
 stando ad monumentum cadaveris ;  
 quàm frequentando lyceum Aristote-  
 lis : utilius tibi erit stare ad monu-  
 mentum ; quàm studere in musæo ,  
 sedere in caupona , ambulare per fo-  
 rum , venari per silvas , stertere in le-  
 cto , quiritari in curia. Hoc enim lo-  
 cò , nullus est vitiis locus. Sta ad mo-  
 numentum , in quo jacebis , sine voce  
 mutus ; sine auditu , surdus ; sine visu ,

cæcus; sine motu, rigidus; sine calore frigidus; sine sensu, stupidus; sine vita, mortuus. Sta ad monumentum, in quo putebis, fætebis, contabesces, computresces: in quo putore, & fænie difflues, à vermibus corroderis, & tandem in cineres convertereris. Stanti ad tumulum, cadent tibi de capite, quibus coronatus es, rosæ; diffluet è manibus, quam tenes, testudo, & cythara; quiescent agiles, quibus solum pulsas, pedes; conticescet arguta, quâ epithalamia concinis, lingua; claudes vagos, quibus vana intueris, oculos. Ad tumulum confundetur Superbia; submittet se Arrogantia; obmutescet Jactantia; pallescit Audacia; frigebit Luxuria. Contemplatio sepulchri, vitiorum omnium erit sepulchrum. Stans ad sepulchrum, hæc Jobi verba menti imprime: [a] *Dies mei abbreviabuntur; & solum mihi superest sepulchrum.* Post exactam olim infantiam, pueritiam, adolescentiam, Juventutem, Sen-

a Job. 17. 10.

a-  
 fine  
 um,  
 ces,  
 e fa-  
 ris,  
 eris.  
 i de  
 dif-  
 estu-  
 qui-  
 escet  
 nis,  
 rana  
 con-  
 Ar-  
 pal-  
 Con-  
 ni-  
 pul-  
 pri-  
 ; &  
 Post  
 am,  
 ene-  
 sty

tutem, & omnes ætatis partes ; post  
 tot labores, curas, sollicitudines, co-  
 natus, studia, contentiones ; post tot  
 gaudia, convivias, tripudia, specta-  
 cula, certamina, victorias, trium-  
 phos ; post sanitatem, morbos, ulti-  
 mum halitum, postremum momen-  
 tum, mortem denique, post omnia,  
 unum superest omnibus. Quid il-  
 lud ? Respondeat, cujus responsum est  
 velut effatum : *Solum mihi superest se-  
 pulcrum.* Ecce hîc tuum, ô Rex pala-  
 tium ? tua, ô Princeps, Basilica ! tua,  
 ô Consul, curia, tuum Causidice, fo-  
 rum, tuum, Advocate, musæum ; tu-  
 um, Philosophe ; Lyceum ; tua Magi-  
 ster, schola, tuus, ô miles, campus ; tua  
 Orator, rostra ; tuum, Concionator,  
 pulpitum, tuum, Cœnobita, clau-  
 strum ; tuum, Sacerdos, Templum ; tua  
 denique, ô homo domus ? post obi-  
 tos agros, vicos, oppida, provincias,  
 regiones ; post lustrata omnia terra-  
 rum loca, unus tibi superest locus :  
 quis ille ? loculus, tumulus, angusta  
 trium ulnarum caverna ; angustior

quatuor palmorum urna. Postquam vixisti diu super terram; unum superest, ut jaceas sub terra. Et hæc omnia tibi brevi evenient. Audi enim Job: [a] *De utero translatus ad tumulum.* Cuicumque contigit concipi in utero; ei necesse & jacere aliquando in tumulo: *De utero ad tumulum*; hoc est, de angustiis, ad angustias; de tenebris, ad tenebras; de carcere ad carcerem. Totum verò quod intercedit inter uterum, & tumulum, vitæ spatium, quantum est? Vix tantum, quantum est in loco punctum; in tempore momentum; in re minima, quid minimum? hoc est, propè nihilum. Et in hoc puncto loci, & momento temporis, quid agimus? quid non agimus? qualia agitamus? Inter omnia porrò quæ agis, ne actum agas, hoc est, frustra vivas: Sta sæpè ad monumentum; & cogita, post omnia quæ egimus, diximus, cogitavimus, hoc erit postremum, cadere in sepulchrum, Hic est nostræ fabulæ

a Job. 10. 39.

læ ultimus actus nostræ Scenæ Epilogus; nostri operis colophon, omnium dictorum epiphonema, omnium gestorum clausula, omnis consummationis finis. Hæc cogita; & pervenies in vitæ fine, ad ultimum tuum finem.

## P R A X I S.

Quodlibet horæ sonantis præludium, fit tibi quasi ad pugnam incedendam classicum, & adhortatio ad vitæ novæ exordium. Quâlibet hora insonet auribus tuis illa Spiritus Sancti tuba (a) *Hora est, jam nos de somno surgere. Surge ergo, qui dormis. Die tibi ipsi, quod familiare S. Terefiæ: Jam sum una hora vicinior morti, sepulchro, æternitati. Si horam, quæ sequitur, impenderis cum animi questu, cum magno meritorum cumulo, quanto exultabis gaudio? Si daretur æternitatis vel in cælo, vel in orco incolæ, frui unâ nostri temporis horâ: quomodo illam infumeret! Iste ut augeter gloriam, hic ut evaderet poenam. Non est in hora momentum,*

C 4

quod

a Rom. 12. 11. Eph. 5. 14.

quod non sit infiniti momenti: quia quolibet momento potest operari æternum gloriæ pondus. Et hoc non ponderas?

## CAPUT VI.

*Novus homo, nova videt, audit, intelligit, dum sepulchra inspicit.*

**U**T veluti homo novus, nova omnia facias, necesse est, nova videas, audias, intelligas. Hoc, quod est necessarium, nancisceris, si non modo stes ad monumentum foris, & aspicias, sed inspicias. Cùm enim dixisset Joannes de Maria: (a) *Stabat ad monumentum foris; sequitur, Inclinauit se, & prospexit in monumentum.* Qui ergò steteris ad monumentum, inclinate, prospice in monumentum. Tu ergò Rex, descende de tuo solio; Princeps, de throno; Judex, de tribunalis; Senator, de subselliis; tu superbe, descende de tuo fastigio, & inclina te, ut declines à malo. Ad quid? inclinate ad terram, ad ultimam tuam domum

a Joann. 20. 11.

uia  
i x-  
non  
elli  
om-  
leas,  
ne-  
odò  
spi-  
isset  
mo-  
avit  
Qui  
lina  
er-  
rin-  
nali;  
de-  
a te,  
lina  
do-  
num

mum, ad monumentum, & prospice,  
ut tibi prospicias, in monumentum,  
& erit tibi firmissimum, quo te pro-  
pugnes, munimentum. Si in illud  
prospicias, prò qualia videbis, audi-  
es, intelliges! Quid tibi videbis, nisi  
capulum è quatuor asseribus compa-  
ctum? in eo sepulchralem sindonem,  
sub ea putidum cadaver, in eo osseum  
monstrum, horrificum spectrum?  
in capite, squamosos serpentes; su-  
per oculos, ventrosos bufones in  
ventre, teretes lumbricos: per omnia  
membra, rodentium vermium fæ-  
dum examen. O spectaculum, quod  
intueri, mors est propè intuentis!  
Quid illic olfacies? Quid? quod nul-  
lius possent excipere nares, sine vitæ  
propè dispendio, sine mortis pericu-  
lo: incredibilem foetorem, intolera-  
bilem odorem, inexplicabilem me-  
phitim, quæ si latè exhalando sese ex-  
plicaret, totum vicinum aërem pesti-  
lentissimâ lue inquinaret. Quid illic au-  
dies? profectò: quam fuisti mirabi-  
lium spectator, tam eris terribilium

auditor. Non mihi consilium est eorum, qui perennis addicti sunt poenis, lugubres nœnias, lessus, elegias, epicedia recensere; totum hunc aërem clamorissimis ululatibus implerent; imò omnes colles, valles, antra, specus, agri, saltus, tesqua, maria, loca omnia inaccessa & recondita, denique tota hæc rerum universitas, lamentabilibus eorum questibus horrendum personarent. Age! sta ad monumentum hominis, quem hominum omnium censes fuisse felicissimum. Aperi tumulum, admove aures, & quid dicat, diligenter attende? Non percipies alia verba, quam digito Dei expressa in libro Sapientiæ: [a] *Lassati sumus in via iniquitatis, & perditionis: ambulavimus vias difficiles, &c. Quid nobis profuit superbia, aut divitiarum jactantia: Transierunt illa omnia tanquam umbra. Si aliud accedas sepulchrum; ut illam, quæ illic latet, umbram audias loquentem, hæc ab illa excipies verba;: [b] *Dies mei transie-*  
*runt**

Sap. 5. 7.    ▯    Job. 17. 11.

*runt.* O dies, quàm multi numero!  
 quam æstimabiles pretio! quàm cele-  
 tes tempore: in ictu oculi transierunt!  
 Tot dies trivi in infantiâ, futiliter; tot  
 dies consumpsi in pueritia, inutiliter;  
 tot dies expendi in adolescētia, negli-  
 genter; tot dies exegi in juventute,  
 perniciosè; tot dies recensui per om-  
 nem ætatem: ubi dies illi? *Transie-  
 runt.* Ubi dies illi geniales, quos lætus,  
 & alacer traduxi in conviviis, hellu-  
 ando, in nuptiis, tripudiando, in pha-  
 risteriis, ludendo; in theatris, spectan-  
 do; in foro, otiano, ubiq; peccando?  
*Transierunt.* Transierunt dies salutis,  
 dies meriti, dies Jubilæi, dies placan-  
 di Dei, promerendi cæli, agendæ pœ-  
 nitentiæ, augendæ gratiæ, obtinendæ  
 gloriæ, *Transierunt*: sed quomodo?  
 Transierunt vacui, sine merito: steri-  
 les, sine fructu: inanes, sine lucro. Si  
 alterius orationem è manibus, non  
 pigeat excipere auribus: hæc tibi  
 attendenti occinet. Sta viator, ante-  
 quam jaces cadaver? Nusquam tibi  
 opportunius fui locutus, quàm è lo-  
 culo?

culo? nec utilius monui, quàm è monumento? Crede mihi jam umbræ, omnia bona, præter summum Bonum, umbræ sunt: & velut umbra prætereunt. Tum primum cognovi: quod omne quod in mundo, est mundi, non sit nisi fumus, dum jacui funus. Sum, quod eris; fui, quod es. Si sapias, hîc vive Deo, morere mundo: & memento, quia hæc, quæ æstimamus omnia, non esse nisi somnia, credes in ultimo vitæ momento. Hæc, & id genus alia, ex alterius mundi incolis excipies, quibus sapias, pronuntiata. Sed quid illic intelliges? quid disces? Disces contemnere tui ipsius contemptum, despiciere despiciabilia mundi: quæ nulli sunt bona, nisi malis. Intelliges, nihil in hoc rerum statu esse stabile: nihil constans, nisi inconstantia: nihil non sub Luna fragile: nihil in hac vita esse miserius, ipsâ vitâ: vanum esse, quidquid non est Deus, vel ex Deo, vel ob Deum? Denique intelliges omnia in hoc mundo esse futilia: in altero admirabilia. Hæc sunt

sunt, quæ in tumulis conspicies, è tumulis audies, per tumulos intelliges. Prostrans ad hæc defunctorum receptacula tenebricosa abjicies opera tenebrarum. Evades ex veteri, homo novus, videndo, audiendo, intelligendo è manibus tot nova. Ita contigit Sylvestro Auximano, qui cum otio subsisteret ad sepulchrum cujusdam nobilis, juxta ac divitis adolescentis: fixit illic paulisper gradum, & cogitabundus aliquamdiu hæsit: ac tandem alto ex imo pectore, educto gemitu, sibi ipse dicebat: *En ego sum, quod hic fuit, & brevi ero, quod hic est.* Plus illi profuit hic tam succinctus Latconismus, quàm quivis potuisset verbosissimus Syllogismus: Nam repente didicit omnia, quæ sunt in mundo, iis, quæ sunt supra mundum, posthabere: jussitque sine mora, mundum res suas habere: & ut esset suus, deseruit sua: egressus quippè cæmeterium, ingressus est Asceterium. Tanti refert, ut Christiani hominis officio perfungaris, consulere vitâ defunctos.

Cùm multùm referat , imò plurimùm conferat ad suscipiendum in illa ineluctabili mortis lucta , è cœlo patrociniùm , multos è cœlitibus habere patronos , ut illos in ultima tua necessitate habeas tibi propitios : consulò , cùm incerta tibi sit certissimæ mortis dies : ut illos Sanctos singulari cultu prosequaris , qui in Ecclesiæ fastis , aut Martyrologio , ut vocant , coluntur illo die , qui tibi erit postremus. Dies unus certò tibi erit aliquando novissimus : quis ille , tibi est incognitus. Illis ergo tuum sæpè offeres obsequium , quos Ecclesia illo die colet , quo tibi ex hac vita erit migrandum. Vel certè si id minus arrideat , aliud suggero. Confice syllabum omnium tuorum , quos in mensuris suffragiis , sortitus es , præsidium : illorumque Litanias indies ad illum finem , ut tibi in novissima hora patrocinentur , recita : & tibi morienti jube à Sacerdote recitari. Quas non è cœlo experieris suppetias : ubi tot habebis , qui in lubri-

ca illa arena succurrant, cælitum copias? Cùm B. Cherubinus, ex D. Francisci Familia, piïssimus Asceta ageret animam: [a] occurrerunt ei sexaginta sex millia Animarum, quas ipse suis Concionibus, cælo inseruerat. Non poterat illi deesse auxilium. cui patrocinantur tot cohortes auxilia-  
ria.

## CAPUT VII.

*Mors multis est invisâ; quia non paucis improvîsa.*

Inter omnia, quæ mortalibus in hac vita solent evenire mala, nulla sunt quæ vel acrius pungunt, vel gravius affligunt, vel acerbius cruciant, quam quæ repenti, subito, improvîsò contingunt. Si urbs aliqua repenti, & inexpectatò ab hoste invaditur, proli-  
quanta est confusio, quæ clades, quæ funera! communi omnium voce mox conclamatur ad arma; *Arma viri, rapite arma viri, hostis habet muros!* Curritur sine ordine per vicus, & compi-  
ta,

a Minorum Chronico parte 3.

ta ; non sunt arma ad manum , itaque passim obvii ab hoste contrucidantur : ardent tecta, profanantur delubra , expilantur domus ; urbs tota, militi est præda. Unde tanta illius civitatis calamitas ? Unde incendia, rapinæ, compilationes, strages, cædes ? Quia repente hostis supervenit. E terra , vela demus in mare. Si post diuturnam oceani pacati malaciam, aëris quietem , ventorum institium, repente tetro nubium globo inhorrescat cælum. Si subito undique venti: [a]

*Incubere mari, totumque à sedibus  
imis*

*Una Eurvsque, Notusque ruunt, creberque procellis*

*Africus, & vastosvolvunt ad sidera  
fluctus.*

*Insequitur clamorque virum, stridorque rudentum:*

*Franguntur remi, tum propria avertit, & undas,*

*Dat latus, insequitur camulo, praruptus aqua mons:*

En

Et tandem oppressa fluctibus navis, petit ima fundi. Unde illa, & navis & nautarum, & vectorum ruina? Quia repente, & improvisò, illis facta incubuit tempestas. Nihil periculosius peregrino, quàm si ex insidiis, & latebris repente exiliat latro, vel grassator, eumque impetat. Nihil luctuosius ~~homini~~ opulento; quàm si repente ex summo felicitatis fastigio, velut turbine quodam deijciatur ad extremas calamitates. Unde & ipse Deus; cùm propter enormia, quæ comiserunt flagitia, malis extrema minatur mala, omnia repentina sunt, quæ minatur. Sic enim detonat ore Jeremiæ: [a] *Repente veniet Vastator super vos.* Ore Isaïæ: [b] *Repente veniet in te miseria, quam nescis.* Ore Pauli: [c] *Cùm dixerint pax, tunc repentinus veniet interitus.* Unde rectè Plutarchus: [d] *Subita, & improvisa, facile de statu rationis dejiciunt.* Hæc si vera sint de strage civitatis,

a Jerm. 6. b Isa. 47. c Thes. 5. d De Ira cohib.

tis, de naufragio navis, de jactura bonorum gravissima esse, quia sunt repentina; quid dicam de eo, quod est terribilium omnium terribilissimum, de morte, inquam? si illa sit repentina, quid homini contingere potest funestius? Mortem, tanquam malorum ultimum, omnes vulgò exhorrescunt, licet tardè prævisa, expectata veniat; quid erit, si illud, quod malorum est extremum, veniat non expectatè, sed improvise? Quàm hoc sit formidolosum homini etiam innocentissimo, liquet ex Job, his ejus verbis: [a] *si repentè interroget, quis respondebit ei?* Illa, de qua hic facit mentionem Job, interrogatio: est raptus quidam hominis ante Dei tribunal, judicialis quæstio, & examinatio, inopinata mors. In judicio autem non respondere, tacitam commissi criminis innuit confessionem: Nam si quis in Judicio interrogatus, & postulatus tacet; lis ei æstimatur ut victo, *si ergò repentè interroget, quis respon-*

a Job. 9. 12.

DE MORTE. 55

*respondebit ei?* Quis est tam innocens  
 criminis, tam purus sceleris, tam in-  
 teger vitæ, tam vacuus culpâ, tam re-  
 motus ab omni suspitione delicti, qui  
 ei possit respondere, seque ab obje-  
 ctis purgare criminibus? profectò, si  
 Deus sic repentè interroget, homo  
 obmutescet; si obmutescat, jam se ac-  
 cusat; ne dicam, condemnat. Quan-  
 do quis morbo corripitur: & mor-  
 tem non subitò irruentem, sed pede-  
 dentim adrepentem prævidet, eam  
 certò expectat: itaque ad eam, eo quo  
 par est modo, sese cõponit; cum otio  
 & maturè secũ præmeditatur, quem-  
 admodum respondeat Judic iinterro-  
 ganti: conscientiam expiat; sacro se  
 viatico præmunit, Sacramenta om-  
 nia suscipit; iniquè possessa restituit;  
 inimicis injurias remittit; testamen-  
 tum condit; heroicis heroicarum  
 virtutum actus elicit; eleemosynas  
 distribuit; & totum se, suaque om-  
 nia Deo committit; atque ita paratus,  
 securus, munitus, non tantùm mor-  
 tem adventantem non formidat; sed  
 tare

tardantem invitat. Quamobrem, si  
Judex illum interroget de commissis  
criminibus, facile respondebit: Fa-  
teor, commisi, inquiet, prænitenda,  
sed eorum me pœnituit; aliena sustu-  
li, sed & ablata reddidi; intuli injuri-  
as; sed & contuli eleemosynas: si te  
graviter offendi, offensum piis ope-  
ribus te mihi propitiavi. Quapro-  
pter pœnitentia factorum, respon-  
dendi ut facultatem, sic præbet & faci-  
litatem. At verò, si repente interroget  
de Naturæ, & Gratiæ dotibus tam  
munificè tibi impensis, de beneficiis  
propè innumeris in te congestis; de  
tot bonis ad bona opera instinctibus;  
de occasionibus merendi à te negle-  
ctis; de socordia in negotio salutis;  
de ejus præceptis à te violatis, de mo-  
nitis non auditis: si, inquam; de re-  
bus plurimis, maximis, difficillimis  
subitò, nihil minus expectantem in-  
terroget, Deus immortalis, quî illi  
respondebis? Claudetur tibi os, filebit  
lingua, obstupescet mens, trepida-  
bunt artus; contremiscent membra,

exhorrescet animus, obrigescet spiritus; & tuo silentio, priusquam Judex suâ sententiâ, te condemnabis. Nihil igitur potest homini in hâc vitâ evenire formidabilius, aut tristius; quàm repentè spiritum intercludi; repentè ex hoc mundo abripi in domum æternitatis; repentè cogi ad reddendam rationem villicationis; repentè citari ad tribunal æquissimi Judicis. Tunc repentè mala omnia simul, & semel totâ mole in miserû incumbunt; tunc personare infausta illa Chrysaorii verba: Inducias usq; mane; Quid hoc est? novissima hora est? Necdum conscientia tot contaminatâ flagitiis expiavi; necdû rebus meis disposui; non solvi debita; non restitui iniquè ablata; non condidi testamentum; non sumpsi sacrum viaticum: hinc clamor, ejulatus, desperatio, confusio in familiâ, formido in conscientia, ubique angustia. Ex his fit manifestum; sic nos debere vitam instituere, ut parati simus quovis tempore, mortem oppetere. Sic vitam instituit, quisquis se  
pos-

posse quotidie mori cogitat, & quasi quovis die moriturus se præparat.

*Nam prævisa minus ledere tela solent.*

Et benè Seneca : *Aufert vim presentibus malis, qui futura prospexit.* Refert ad salutem, diem mortis nobis esse ignotum. Reddit rationem D. Gregorius : [ a ] *Latet ultimus dies, ut observentur omnes dies.*

## P R A X I S.

Ut benè obeas ultimum diem ; expende aliquot dies, feriò, & pensivulatè tecum considerando, quid vulgò fieri soleat, vel quid tu ipse fecisse te optares, novissimo die & fac modò, quod tunc fieri solet. Tunc voles condere testamentum, fac modò, discutere latebras conscientie, & totius antea vitæ errata in memoriam revocare, ut illa sacerdoti patefacias, fac modò : ignoscere inimicis tuis, deponere odia, oblivisci injuriarum, inire cum adversariis pacem, hæc jam

fanus

*Consol. ad Marc. cap. 9. de Dis. Christ.*

fanus peragas : tunc singulari pietate  
 Christum, ritu viatici suscipies ; jam  
 nunc dum accumbes sacrae mensae,  
 semper eodem virtutum apparatu il-  
 luc accede, eoque desiderio, ac si sta-  
 tim à sacro illo epulo esses mortem  
 appetiturus. Hæc omnia si modò  
 exequeris, dum es incolumis sine æ-  
 gritudine ; mors tibi nunquam obve-  
 niet improvifa : illam enim expectas,  
 dum ad illam ita te præparas ; si ex-  
 pectas, nunquam tibi erit inexpectata,  
 sed potiùs veniet à te expetita. Ut sis  
 igitur in morte securus ; sepone priùs  
 omnes, quæ cuivis in morte familia-  
 res sunt curas : (a) *Nam serò parantur  
 remedia ; cum mortis imminent peri-  
 cula.*

---

 C A P U T VIII

*Summi momenti summum momentum.*

QUando venit summa dies, & illius  
 diei summum momentum ; tunc  
 quæ ab eo sequuntur, summa sunt o-  
 mnia. Quia post illud temporis pun-  
 ctum,

a Gregor. supra.

ctum, sequitur infinitæ Aeternitatis  
linea. Itaque ut intellectus summum  
illud momentum, suis momentis tru-  
tinet; illius momentum fufiis expla-  
nabo. Propter hominis, quo vivet,  
ultimum momentum, nihil non egit  
æternus Pater: nihil non protulit æ-  
ternus Filius; nihil non contulit Spi-  
ritus sanctus. Propter illud momen-  
tum; Pater è cælo misit Filium in ter-  
ras, propter illud, Filius Dei, infans  
natus est in stabulo, jacuit in præse-  
pio, vagiit in fæno. Quidquid de-  
inde per triginta tres annos à primo  
momento quo cæpit spirare in Matris  
utero, usque ad ultimū, quo expiravit  
in Crucis patibulo, vel egit, vel dixit,  
vel pertulit, vel cogitavit; fuit pro-  
pter ultimum hominis momentum.  
Ideò sunt quatuor Evangelia, ut inde  
hauriremus documentum, feliciter  
terminandi ultimum momentum.  
Ideò sunt septem Sacramenta; toti-  
dem Spiritus sancti Charismata: ideò  
decem Dei, quinque Ecclesiæ præ-  
cepta,

cepta, tria Religionis vota, ideo tot  
 ubique terrarum habitæ Conciones,  
 tot conscripta librorum volumina,  
 tot excogitata salutis præsidia. Cur  
 tot Anachoretæ in solitudine, in ca-  
 vernis terræ, in ferarum spelæis, in  
 summâ vitæ asperitate, ætatem om-  
 nem exegerunt? Cur Laurentius in  
 candenti torretur craticulâ? Cur Se-  
 bastianus toto corpore excipit telo-  
 rum silvam? Cur tot alii invicti Chri-  
 sti pugiles in equuleo, *distenti sunt?* a-  
 lii verò *ludibria, & verbera experti,*  
*insuper & vincula, & carceres? lapi-*  
*dati sunt, secti sunt, tentati sunt, in oc-*  
*cisione gladii mortui sunt?* cur alii *cir-*  
*cui erunt in melotis, in pellibus caprinis*  
*egentes, angustiati, afflicti?* propter  
 ultimum vitæ suæ momentum. Ideo  
 sunt tot Religiosorum virorum Asce-  
 teria, tot Monachorum cœnobîa, tot  
 Virginum claustra, tot Sacerdotum  
 Tempa. Cur tot juvenes, & puellæ  
 in flore ætatis spreto mundo, & om-  
 nibus mundi deliciis, reliquerunt do-

D

mum.

Hebr. 11. 53. Matth. 19. 29.

mum & fratres, & sorores, & Patrem  
 & Matrem? nonne fuit, ut vitam æ-  
 ternam possiderent? Ergò propter ul-  
 timum momentum: quia æternæ vi-  
 tæ possessio, non dependet à solâ vitâ,  
 sed à vitæ momento ultimo. Hinc  
 jam in confesso est, quanti sit momen-  
 ti, ultimum vitæ momentum: quan-  
 doquidem omnia, quæ prohibentur  
 mala, quæ jubentur bona; quæ ve-  
 rantur vitia, quæ imperantur virtu-  
 tes; quæ declinantur pericula, quæ  
 audiuntur pia consilia; quæcunque ab  
 Apostolis, ac deinde viris Apostolicis  
 sunt acta, dicta, scripta, cogitata, to-  
 lerata; quæcunque à Deo in cælo, vel  
 in terrâ sunt condita; omnia, singu-  
 la, universa, sunt propter ultimum  
 hominis momentum. Hujus rei ve-  
 ritas est testatissima, ideoque nec in-  
 diget testimoniis. Nunquid omnia  
 sunt propter nos homines, & propter  
 nostram salutem? hoc est, ut homo e-  
 vadat æternam mortem, acquirat æ-  
 ternam vitam? vita hæc, & mors, adeo-  
 que salus hominis dependent ab ulti-  
 mo

DE MORTE. 63

mo momento ; si enim ultimo illo momento fueris particeps Divinæ Gratiæ , es hæres æternæ Gloriæ ; si reus letalis culpæ , es hæres perennis pœnæ. Hinc jam consequitur , non posse , nec novem Angelorum Choros , nec omnes Cælites , nedum homines , licet forent singuli sapientia Salomones , exertis omnibus ingenii , industriæ , & intellectus viribus , vel secum concipere , vel nobis exprimere , quanti sit momenti , bonum vel malum esse hominis ultimum momentum ; sive quanti sit ponderis , benè vel malè mori. Res hæc est exploratissima : quia cum intellectus etiam Angelicus , certis sic circumscriptus limitibus , fieri nequit , ut concipiat infinita bona , & mala , quæ ex bona , vel mala morte consequuntur. Quæ cum ita sint , deberetne per omne totius vitæ nostræ curriculū fluere ullum momentū , quo non simus cum cura anxii , & cum timore pavidī , & cum circumspeditione solliciti pro ultimo vitæ momento ;

ut illud nobis sit finis omnis mali,  
principium omnis boni; Sæpè, sed &  
maturè tecum animo volve; qualia  
videbis, audies, intelliges, optabis  
soluto jam vinculo arētissimo corpus  
inter & animam, post novissimum  
momentum, post ultimum halitum,  
post extremum emissum spiritum; om-  
nia, quæ tunc occurrent in altero  
illo mundo, erunt tibi nova, pere-  
grina, inaudita; supra omnem fidem  
incredibilia, supra omnem eloquen-  
tiam inexplicabilia, suprâ omnem in-  
telligentiâ incomprehensibilia. Nunc  
igitur seridò, ne fors postea nimis serò,  
cave, ne horæ novissimæ momento  
novissimo, occupet te mors peccato  
letifero obnoxium. Ne tibi contin-  
gat, quod impio illi Dynastæ Bal-  
thazari? Quantus subitò invasit stu-  
por, pavor, horror Balthazarem; cum  
in illo sumptuosissimo convivio lege-  
ret sibi imminere fatalem horam! ubi  
minus expectandum est letum; quàm  
in convivio, ubi omnia læta? Et sci-  
tis, quale fuerit convivium? Audite  
ejus

ejus apparatus ex Danielis historiâ,  
 Balthazar Rex fecit grande convivium  
 Optimatibus suis mille; & unusquisque  
 secundum suam bibebat etatem. Pra-  
 cepit ergo jam temulentus, ut afferen-  
 tur vasa aurea, & argentea, quæ aspor-  
 taverat Nabuchodonosor pater ejus de  
 Templo, quod fuit in Jerusalem, ut bi-  
 beret ex eis Rex, & Optimates ejus,  
 uxoresque ejus, & concubina. Itaque  
 jam omnes in omne genus hilaritatis  
 sese effundebant: edebant dapiliter,  
 bibebant liberaliter, gestiebant hila-  
 riter; sonabant cytharæ, & tibiæ, &  
 buccinæ; circumstrepebant; omnia  
 joci, risibus, cachinnis, tripudiis.  
 O inexpectata rerum omnium con-  
 versio! sequitur in eâdem historia  
 Danielis. In eâdem horâ apparuerunt  
 digiti, quasi manus hominis scribentis  
 contra candelabrum in superficie parie-  
 tis aula Regia: & Rex aspiciebat arti-  
 culos manus scribentis. Tunc facies  
 Regis commutata est; & cogitationes e-  
 jus conturbabant eum, & compages re-

num ejus solvebantur, & genua ejus ad invicem collidebantur. Expende illas voculas: In eâdem horâ, quâ nunquam inter omnes vitæ horas fuerat lætior, jucundior, securior; & ut sibi videbatur, felicior. In eâdem horâ quâ inter uxores, & concubinas, & optimates, omnibus, quas optare poterat, circumfluebat delitiis. In eâdem horâ, quâ fors Imperii sui fines propagare, victorias & manubias & trophæa, & triumphos meditabatur. In eâdem horâ, intelligit sibi migrandum ex hâc vita. Cave ne in eâdem horâ, quâ indulges genio, & studes crapulæ, quâ vivis Bacchanalia, quâ agis Saturnalia; ne in eâdem horâ, quâ vertes in orbem pedes tripudiando; quâ tenebis cytharam, & tympanum; ne in eâdem horâ, quâ contaminatus fueris noxâ letali, invadat te letum: ne eâdem horâ moriatur corpus, quâ mortua est anima. Hoc si contingat, eâdem horâ in puncto ad inferna descendes.

## P R A X I S.

Hæc pauca quotidie, vel manè dum

## DE MORTE.

67

è strato confurgis, vel vesperi cum decumbis tecum considera. Tot ab Adamo, hucusque fuere olim funera; totidem brevi erunt, quot jam in vivis censentur capita: tu inter omnes, unus ex omnibus? de quolibet jam defuncto, unum hoc dici potest. Fuit; de nobis, Sumus, de singulis, Erimus: Fuisse, nihil est; Esse, momentum est; Fore, æternum est. Semper enim, vel in pœna inter dæmones, vel in gloria inter Angelos, immortales erimus, ubi mortales semel esse desierimus? Unde inter futurum esse, & fuisse, mediū est punctum, & momentum: punctum loci; momentum temporis: nihil minus est in loco, quàm punctum; nihil minus in tempore, quàm momentum. Sic ergo vive in puncto loci, ut aliquando poriaris Regno cœli: sic impende momentum temporis; ut evadas æternitatem supplicii, acquiras æternitatem gaudii.

FINIS  
DE MORTE.

D 4

PRO-